

## DECRETS ET SOLUTIONS

---

### Sacrée Congrégation des Indulgences

#### I

#### MECHLINIEN.

**P***N peragendo pio Viae Crucis exercitio loco unius ex fratribus in Communitatibus Religiosorum una ex Sororibus circumire in qualibet statione et preces recitare potest.*

Superiorissa Generalis Instituti Adorationis Perpetuae, cuius domus princeps extat Bruxellis in Archidiecesi Mechliniensi, huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis propositae sequentia exponit :

In decreto huius S. Cong. diei 6 augusti 1757 praescribitur in pio Viae Crucis exercitio publice peragendo ob angustiam loci unumquemque de populo locum suum tenere posse, dummodo sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat ac sistat in qualibet statione ibique consuetas preces recitet.

Anno elapso ab eadem S. Congregatione quaesitum fuit :

I. an ista methodus servari quaeat, ob angustiam loci, in sacellis domorum communitatum religiosarum.

II. « an loco sacerdotis cum duobus clericis unus tantum e fratribus non sacerdos circumire ac sistere in qualibet statione suetasque preces recitare valeat. »